



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1691

Disc. XXI. Romana elevationis de Capisucchis. De eadem materia ædificandi in suo, unde habeatur prospectus ad Monasterium Monialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74102)

R O M A N A
E L E V A T I O N I S
D E C A P I S U C C H I S

P R O
M O N A S T E R I O T U R R I S
S P E C U L O R U M
C V M
F R A N C I S C O C A P I S U C C O .

Casus disputatus coram Congregatione particulari, & resolutus pro Monasterio.

De eadem materia ædificandi in suo undè habeatur prospectus ad Monasterium Monialium.

S V M M A R I V M .

1. **F** Acti series, De prohibitionem ædificandi, seu aliud opus construendi, undè habeatur prospectus ad Monasteria Monialium.
2. Recensentur in proposito plures resolutiones S. Congregationis.
3. Regula ut cuiuslibet liceat ædificare in suo, ac alius extollere intelligitur moderatè, & juxta communem usum.

D I S C . XXI.

Volente Francisco Capisucco in ejus domo in Campitello per Dominicum Jacobatium inhabitata, ad majorem istius commoditatem, structuræ jam perfectæ & supra tectum juxta modernam consuetudinem, aliud appartementum superaddere, se opposuerunt Moniales insignis Monasterii Turris Speculorum, quibus ex hac majori dictæ domus elevatione notabiliter præjudicari credebatur; Tum ex prospectu intra earum cellas, claustra, & officina; Tum ex omnimoda solis & salubris aeris privatione. Undè istis ad Sanctissimum recurrentibus, atque deputata trium primi Ordinis Prælatorum particulari Congregatione pro extrajudiciali recognitione & determinatione.

Pro Monasterio scribens dicebam, omninò hujusmodi novum ædificium impediendum esse, ut de factò sequutum fuit, quia prohibitum est habentibus domus propè Monasteria Monialium illas altius tollere, sive fenestras aperire, aut apertas ita tenere, quod exindè Moniales inspicere vel inspicere valeant, quod de ipso jure communi prohibitum esse firmant *Cynus & alii antiquiores in l. altius C de servit. & aqua*, quos referunt, & sequuntur *Covarr. lib. 3. var. cap. 14. n. 8. Beron. conf. 135. num. 9 & 10. vol. 3. Rouit. in pragm. 2. de Monialibus num. 5. & plenius decis. 52. num. 7. Cabedo decis. 152. num. 1. & 2. Casyc. Latr. decis. 157. numer. 20. cum seqq. Sperell. decis. 58. num. 6. cum seqq. Muta decis. 8. num. 6. & 7. in Romana prælationis 24. Februarii 1644. coram Roiss inter suas decis. 229. & in aliis*, quia est recepta propositio, de qua solum dubitavit Padilla in eadem l. altius, qui nullos vel modicos habet sequaces.

Atque ita ex prudentialibus & religiosis motibus perpetuò determinatum esse à Sac. Congregatione negotiis Episcoporum & Regularium præposita insinuabam in meis notis reperire, præsertim in sequentibus:

- In una Licien. 23. Februarii 1605.*
- In una Portugallen. 16. Aprilis ejusdem anni.*
- In una inter amnen. quæ est in puncto impediendi altiore ædificationem domus 15. Maji 1612.*
- In una Aquilana 31. Junii ejusdem anni.*
- In una Baren. 18. Februarii 1615.*
- In una Anconitana 11. Aprilis 1645.*
- In una Parmen. 28. Novembris 1636.*
- In una Assisen. 11. Julii 1653.*
- In una Conversana 8. Augusti ejusdem anni.*

Et si hæc procedunt etiam in casu regulæ, ubi scilicet juxta dispositionem text. ind. l. altius licitum est juxta consuetam, & convenientem structuram altius extollere, & in suo ædificare; Multò magis id procedere dicebam, ubi non agitur de impedienda elevatione ad suam debitam & consuetam altitudinem, sive de claudendis fenestris in partibus nobilibus, itaut ædificium remaneat imperfectum, seu alias obscuratum & deturpatum, cum Domini præjudicio, sed agitur de excessiva & incongrua elevatione supra structuram jam perfectam præter communem consuetudinem, quo casu etiam inter privatos regula desumpta ex d. l. altius limitationem seu moderationem recipit *Surd. dec. 168. num. 6.* Et ex qua consideratione præsertim a difficiis inhibitorium fuit, quamvis præjudicium vere non esset notabile quoad prospectum, qui nullus erat, vel de facili consuli poterat; Aderat tamen præjudicium circa privationem solis & aeris, quod licet circumscripta dicta consideratione non videatur inter privatos sufficiens ad impediendum. ne quis moderatè in suo ædificet, at tamen ubi agitur de Monasteriis Monialium adhuc videtur præjudicium considerabile ex rationibus, de quibus in *lanuen. & in Florentina hoc tit. dis. præc. & dis. 18.* atque ita pro Monasterio resolutum est.

R O M A N A
Æ D I F I C I I
D E S I G I S M U N D I S

I N T E R

C O N V E N T U M M I N O R U M
D E O B S E R V A N T I A
S . I S I D O R I

E T

F R A T R E S D E S I G I S M U N D I S .

Benevolus discussus pro veritate ad partes concordandus.

De eadem materia ædificij, ex quo habeatur aspectus ad Monasteria Virorum. Et an & quando emphyteuta imponere possit servitutem duraturam etiam penes dominum directum, vel alium ab eo causam habentem.

S V M M A -